



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi  
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

37 Legati de latere usque ad medietatem fructuum pensiones possunt  
reservare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

demandari : ita distinguit Gomes. in d. comp. utriusque signa. ead. n. 86. Gig. de pens. 38 q. 85. nu. 1. & 2. & Staphil. in tract. de commiss. tit. just. §. in primis igitur. n. 84. & 85.

Quarto differt reservatio Papæ à reservatione inferiorum † quia Papa in collatione beneficij potest reservare alteri pensionem sine consensu ejus, cui beneficium confertur, derogando regulæ de præstantio consensu, Gig. d. tract. de pens. q. 85. n. 2. inferiores verò sine consensu beneficiati pensionem reservare non possunt, ut in eo. tract. q. 10. nu. 9. & est ratio, quia regula de præstantio consensu ligat manus inferiorum, arg. text. in c. ut debitus. de appell. non autem Papæ, quin possit illi derogare, cum ejus sit revocare, qui condere potest.

Legati de latere quoque † possunt pensiones reservare, quæ tamen medietatem fructuum beneficiorum non excedant, quæ potestas illis conceditur in facultatis legationis, ut Clementi Papæ VIII futuram concessa, dum Cardinalatus officio fungeretur, ad Regnum Poloniae in Legationem missio, sub his verbis, ac etiam super dictorum beneficiorum resignatorum, seu cessorum fructibus, redditibus, & provenientibus, quatenus id commode ferre poterunt, quascunque pensiones annuas, non tamen medietatem fructuum reddituum, & provenientium hujusmodi excedentes, resignantibus vel cedentibus, quoad vixerint, per dicta beneficia pro tempore obtinentes, & eorum successores annis singulis in locis, & terminis, ac sub privationis, & aliis sententiis, centuris, & pœnis ecclesiasticis, &c. reservandi, constituendi, & assignandi, ut in facultatis, de quibus in 2. p. bull. Sixti V. cap. 35. s. ac etiam super, & hanc facultatem pensiones reservandi non

habent de jure communi, sed vigore litteratum specialium † facultatum, quia de jure communi solùm beneficia conferre possunt, per text. in c. I. de off. leg. in 6. Legati verò inferiores, ut sunt Nuncijs pensiones super fructibus beneficiorum reservare non possunt. Nam licet olim illis concedetur facultas reservandi, ut testatur Gig. de pens. qu. 6. n. 22. à pluribus tamen annis citra, Nuntiis Apostolicis dicta facultas non conceditur, & eorum facultas, tanquam extraordinaria, strictè est intelligenda. gl. penult. in clem. 2. de off. ordin.

Dubitari potest, † an reservationes pensionum à Legatis de latere factæ habeant eandem paratam executionem, quam habent pensiones auctoritate Apostolica reservatae, ita, quod in casu appellationis à sententia in prima instantia lata debeat dari commissio clausula, sine retardatione solutionis pensionis, & cum Legati reservent pensiones, quæ transeunt ad successores, & sub solitis sententiis, censuris, & pœnis eo modo, quo à Papa reservantur, videtur, quod pari passu debeant ambulare, & clausula sine retardatione solutionis, debeat apponi, quia de similibus idem est judicium, cap. inter ceteras. de rescript. cap. 2. de translat. Prelat. & cap. cùm secundum Apostolum. in principe præben. Quod autem, quando inferior reservat pensionem auctoritate sibi concessa, & attributa à Papa, non procedat conclusio, quod causa absque clausula, sine retardatione solutionis pensionis, sit committenda, quia tunc Papa reservare videtur. tenet Gig. in eod. tract. quest. 85. n. 12. quam opinionem non puto simpliciter veram, quia, aut facultas est simplex, & libera ad reservandam Titio pensionem

L 1 2 scuto-